

Cum fides non esset bonum proprium veteris foederis, dubitamus sane an Deus consuluerit tunc integritati fidei collato dono infallibilitatis auctoritati religiosae illius coetus: sed aliis viis forte consuluit, puta missione prophetarum, oraculis a se datis, ac generatim suavi providentia quae eum ordinem elegit in quo veram fidem non pauci essent semper professuri. Ex verbis autem Deuteronomii XVII, 8. collatis quoque 2° Paralip. XIX, 9. 10. non liquet satis Summum Pontificem constitutum fuisse iudicem in causis fidei, nec obligatio acquiescendi eius iudicio sub poena mortis demonstrat Summi Sacerdotis infallibilitatem, sed solum supremam auctoritatem quae in civili quoque societate locum habet, et merito obedientiam exigit, quaeque suo quodam modo infallibilis est h. e. inappellabilis. Cf. tamen Bezanum *De Iudice controversiarum*, qui partem affirmantem tuetur.

§. XXII.

*Verae Christi Ecclesiae proprium est ut sit una, et quidem unitate triplici, nempe unitate communionis, sive sociali, propter quam unica quoque sit Ecclesia: unitate symbolica h. e. professionis fidei tum materiali tum formali: atque unitate rituali, eademque pariter tum materiali tum formali.*

I. Unitas quaedam Ecclesiae orta ex eo quod habeat unum fundatorem unumque supremum caput Christum unumque immediatum ac mediatum finem sanctitatem nempe aeternamque beatitudinem unamque revelationem christianam, unitas talis, inquam, a Protestantibus quoque admittitur, qui hoc pacto asserunt Ecclesiam Christi unam esse et unicam. Huiusmodi autem unitas absque ulla unitate sociali existere potest. At unitatem etiam sociale Ecclesiae admittendam esse patet ex superius demonstratis, quibus effecimus Ecclesiam Christi societatem esse eandemque visibilem (cf. §§. I, II, X). Quare de hac re sub hoc generali conceptu non est amplius disputandum. Neque pariter quaestionem habere oportet an Ecclesia Christi sit unica sub aliqua confusa ratione; nemo enim hoc negat. Reliquae tamen sunt adhuc aliae penitiores quaestiones circa determinatum conceptum unitatis ac unicuitatis Ecclesiae.

Quaeritur enim 1° qua ratione Ecclesia Christi una et unica esse debeat, an nimirum quatenus omnes Christi fideles unius eiusdemque regiminis auctoritati subesse oporteat, an quatenus satis sit partiales societates christianas alioquin in suo regimine independentes amico foedere copulari. Quaeritur 2° an unitas in fide et ritibus sacris exigit consensum fidelium in omnes veritates revelatas iisque connexas, atque authentice propositas, tum communionem in eosdem

omnes ritus sacros qui sint divinae institutionis, an sufficiat consensus in quasdam veritates revelatas fundamentales, atque communio in quibusdam magis necessariis sacramentis. Quaeritur 3° quodnam sit ex Christi institutione principium necessarium huius unitatis. Quoad 1<sup>am</sup> quaestionem nota est sententia quorundam recentiorum Protestantium in Anglia: Ecclesiam Christi posse suam tueri unitatem etsi tantum amico foedere uniantur diversae communionis, Romana scilicet, Graeca et Protestans (Cf. Patricium Murray de Ecclesia disp. VI, Sect. 1° n. 57 seq.). Quoad 2<sup>am</sup> quaestionem constat Protestantes generatim eam mordicus defendisse opinionem, unitatem fidei non violari nisi negatione articulorum fundamentalium, nec requiri communionem nisi in iis ritibus sacris qui ex sola Scriptura certo demonstrantur. Quoad 3<sup>am</sup> quaestionem tandem patet Protestantes docere principium necessarium efficiens unitatis esse solum Spiritum S. qui omnes docet. De his ergo disputandum est.

II. Iam vero unitas socialis non prodit solum ex identitate finis, mediorum, legum: patet in tot societatibus seu regnis distinctis, quae eundem finem habent, et frequenter easdem leges et media habent vel possunt habere: nec sufficit identitas regis, qui duo distincta regna gubernare potest: sed requiritur conspiratio mutua omnium sociorum sub directione unius regiminis: hoc enim posito, omnes una conspirantes sub una auctoritate, unum corpus, unam societatem constituunt. Non repugnabat Christum tot societates invicem independentes constituere quot e. g. sunt Episcopales Sedes; ast alia in hac hypothese fuisset oeconomia ab eo constituta. Institutio porro Christi est ut universa Ecclesia sua sit una societas, h. e. ut omnes fideles constituent unam societatem, mutuo conspirantes omnes in eundem finem sub auctoritate unius regiminis. Quare haec unitas excludit multiplicitem Ecclesiarum, quarum singulae sint completae inter se societates proprium habentes regimen; etiamsi quodam amico foedere inter se uniantur, sicut et societates independentes, retenta propria independentia, possunt uniri: ideoque eo redit unitas Ecclesiae, ut Ecclesia, quae prout societas est, debet esse necessario una, sit etiam unica; hoc nempe pacto, ut sub regimine unius supremae auctoritatis omnes Christi fideles comprehendantur.

Haec unio dicitur quoque unio communionis; communicant enim invicem fideles: dicitur etiam frequenter ab Augustino unio caritatis: verum caritatis nomine non intelligitur immediate virtus proprie dicta theologica, qua proximum propter Deum diligimus; nam haec complectitur eos quoque, qui sunt extra Ecclesiam, et qui proximum odit non ideo desinit esse in Ecclesia: sed intelligitur coordinatio ad ceteros fideles et subordinatio Pastoribus in unam socie-



tatem; quae proinde per se est caritas socialis, dicitur vero etiam caritas simpliciter, quia speciem ipsius quamdam refert, et ab ea determinari, veluti effectus, nata est.

Unitas socialis Ecclesiae non id postulat, ut quicumque sunt membra eius, pergant semper esse membra sive ad corpus eius spectare; sed requirit ut, quicumque et quotcumque sint qui recedunt ab aliis, Ecclesia maneat semper una societas, non sit divisa in plures societates ab invicem separatas; ideoque quicumque homo vel coetus non sit membrum vel pars illius, non sit ullo modo Ecclesia Christi, vel de Ecclesia Christi.

Huiusmodi unitas dicitur proprietas Ecclesiae. Et quidem prout unitas dicitur conspirationem plurium ad eundem finem sub eadem auctoritate, ea est proprietas essentialis Ecclesiae sicut est ei essentialis esse societatem; ideoque absolute ei competit: nequit enim esse societas sine unitate. Prout vero dicit omnium fidelium adunationem in unam et unicam societatem sub uno regimine, unam in universo orbe sistens Ecclesiam Christi; est proprietas tum necessaria, eo quod necesse est ut Ecclesia talis sit, qualem Christus esse voluit; tum quoque essentialis, si comparetur cum hoc subiecto, quod quidem Deus instituit, nempe cum societate ordinata ad comprehendendum in se ipsa omnes fideles: est enim sic ei essentialis illa unitas. Quae quidem unitas re est ipsa societas: sed id non impedit quominus proprietas eius dicatur; quemadmodum unitas propria cuiusque societatis re est ipsa societas; et tamen eius proprietas dicitur, prout cum ipsa comparatur sub alia ratione spectata.

Nobis nunc ergo probandum est Christum ita instituisse Ecclesiam ut una sit unitate sociali comprehendens sub uno eodemque regimine omnes fideles, qui membra sint Christi; non sit multiplex, vel divisa in partes, quae singulae proprium regimen independens habeant, vel quae etiam quodam foedere consociantur simul, propria independentia non amissa, quemadmodum plures societates invicem independentes uniri possunt.

Christi oratio Ioan. XVII, 11-20-23. est oratio efficax, tum quia absolute facta, tum quia quod haec petitur a Christo est signum suae missionis, quae signis manifestanda erat (ut credat mundus, quia tu me misisti), quia tandem effectus ipse orationis consecutus significatur, cum dicitur: *ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum*: Christo enim existente et operante nequit deesse effectus. Porro quod Christus rogat est unitas, unitas omnium credentium perpetua, *non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*, qua omnes unum sint iuxta divinae unitatis exemplar *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et*

*ego in te, ita et ipsi in nobis unum sint*. Unitas autem exorata a Christo est unitas visibilis, debet enim esse signum hominibus missionis Christi institutoris Ecclesiae: unitas autem haec visibilis omnium credentium est unitas socialis sub uno eodemque regimine unius auctoritatis. Sane Ecclesia Christi dicitur *corpus, corpus organicum, corpus unum* (2<sup>o</sup> Cor. XII, 12 seqq.; X, 17) dicitur *Regnum* (Matth. XVI, 17) *domus* (1<sup>a</sup> Petri II, 5) *ovile* (Ioan. XXI, 15 seqq.) *ovile unum sub uno pastore* (Ioan. X, 16). Iam vero cum haec metaphoricè de coetu vel societate hominum usurpantur, significatur *a*) quod unum sit principium unitatis, unum sit regimen; quemadmodum unum est caput in corpore, unus Rex in regno, unus paterfamilias in domo, unus Pastor in ovili. An sit unicum caput, regimen, etc. pendebit a quaestione an sit unicum corpus, regnum: sed certe cum dicitur corpus, significatur unicum caput, illius nempe corporis; cum dicitur regnum, significatur unicum regimen illius regni, etc. nam neque esse potest corpus sine capite, aut regnum sine rege vel supremo regimine: neque corpus potest esse biceps (nisi sit monstrum), neque regnum cum duplici suprema auctoritate. Significatur *b*) quod illi uni capiti, regimini omnes subsunt qui ad corpus vel regnum spectant, quemadmodum capiti subsunt omnia membra, regiae auctoritati totum regnum, patrifamilias tota domus, pastori totum ovile. Iam vero ad hoc corpus unum constituendum ordinantur quotquot sunt membra Christi: 1. Cor. X, 17. *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*. Ibid. XII, 13. *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi*. Scilicet omnes qui de pane eucharistico participant, omnes qui sunt baptizati, ad unum corpus constituendum ordinantur: atqui hi sunt omnes qui membra Christi sunt; nullus enim esse potest Christianus coetus, qui his Sacramentis careat: cum itaque quotquot his sacramentis perficiuntur ad unum corpus constituendum ordinantur; ergo corpus istud unum complectitur omnia Christi membra; ergo sub uno regimine huius corporis contineri debent omnes qui membra Christi esse volunt: ergo Ecclesia est una unitate sociali comprehendens sub uno regimine omnes fideles; atque ita est una, ut sit etiam unica. Atque talis unitas est ei essentialis; est enim essentialis societati aliqua forma unitatis, ideoque ea determinata forma quam vel natura vel institutio in ea exigit. Item ad Ephes. IV, 11 seqq. docemur Deum dedisse Apostolos, Pastores et Doctores in consummationem sanctorum, in aedificationem corporis Christi: hoc autem, quod corpus Christi dicitur, repraesentat eos omnes qui sanctificandi sunt; nam pro iis omnibus dati sunt Apostoli, Pastores et Doctores. Iam vero



corpus istud non est multiplex, sed unum: non enim sub Christo Capite sunt partes inter se separatae, sed aliquod totum connexum et compactum est augmentum corporis faciens, in aedificationem sui. Ergo. Quod autem in corpore valet, id et in aliis metaphoris valere evidens est.

Unitatis socialis omnium fidelium necessitas sive adunationis omnium sub uno regimine demonstratur quoque directe ex institutione potestatis quam Christus uni contulit et cui omnes prorsus suas oves subesse voluit: quocirca huiusmodi unitatis plenissima demonstratio repetenda est ex Tract. seq.

Veteres autem Patres idem unanimiter testantur. Etenim non solum docent Ecclesiam Christi esse ex omnibus credentibus unam (Iustinus in Dialogo n. 63. Clemens Romanus epist. ad Corinthios n. 46. Irenaeus L. I, c. 10. Origenes contra Celsum L. VI, n. 48. Cyprianus et Augustinus De Unitate Ecclesiae) sed praeterea docent unitatem Ecclesiae per Episcopum, ideoque per auctoritatem, fieri (Ignatius passim in suis epistolis) iidemque docent unum esse episcopatum, unam esse cathedram, unum Episcopum in Ecclesia, unamque Ecclesiam esse per unius auctoritatem; et idcirco unam Ecclesiam esse ex omnibus fidelibus per subiectionem uni auctoritati.

Ex his liquet Christum non solum voluisse Ecclesiam suam esse unam, sed principium unitatis in ea posuisse h. e. auctoritatem visibilem; constat enim Christum auctoritatem regiminis instituisse: unitas autem Ecclesiae quae est unitas corporis, Regni, ovilis etc. per solam auctoritatem obtinetur. Ut vero huiusmodi unitas socialis vere dicatur competere Ecclesiae, debet esse actualis; si enim actu non sit, habebis partes divisas: quae nihilominus si adhuc dicantur esse Ecclesia, Ecclesiam sistent multiplicem, non unam. Unitas vero socialis perpetua erit; quia Ecclesia perpetua erit: erit autem semper Ecclesia, qualem Christus instituit et voluit esse; ergo actualis unitas perennis erit, nec unquam fiet ut Ecclesia vera sit, et simul multiplex ac divisa socialiter.

III. Unitas fidei (loquimur nunc de fide theologica) ex duplici elemento constat, subiectivo et obiectivo: subiectivum est professio fidei communis omnibus; obiectivum est doctrina eadem, sive veritates eadem pro omnibus credentibus. Porro ex parte obiecti, *ad habendam unitatem* requiritur ut ipsae veritates, quae creduntur, sint unum, h. e. uni subsint motivo, nihilque in eis sit falsi, neque ulla contradictio inter eas. Ex parte vero subiecti requiritur principium determinans professionem fidei communem. Hoc autem principium determinans debet esse evidentia credibilitatis obiecti quae dupliciter obtineri potest. Vel est enim evidentia credibilitatis obiecti

certa ex eo quod Deus singulis veritatem testatur vel interiore locutione, vel exteriori manifestatione per signa, vel est evidentia credibilitatis obiecti certa ex auctoritate quadam inter homines proponente infallibiliter credenda, cuius infallibilitatem Deus certis signis indubiam effecerit. Alterutrum enim requiritur; nam evidentia veritatis haberi nequit. In hac proinde unitate fidei duplex veluti unitas distinguenda est, *unitas materialis* h. e. consensus omnium in eadem veritates; *unitas formalis* h. e. adhaesio omnium eidem principio determinanti consensionem.

Iam vero professio fidei eadem in omnibus potest esse vel explicita vel implicita. Explicita est cum distincte sciuntur et creduntur veritates: implicita est cum aliquibus veritatibus explicite creditis, ceterae in suo motivo formali, et principio manifestationis creduntur, quatenus volumus credere quidquid Deus revelavit et magisterium a Deo institutum docet. Fides autem implicita duplex distingui potest; nempe respectu earum veritatum quae iam authentica et infallibili definitione magisterii sunt propositae, quas tamen plures ignorant: et respectu earum veritatum quae in deposito quidem revelationis continentur, nondum tamen peremptoria sententia magisterii sunt definitae. Illud porro est advertendum quod utraque fides sive explicita sive implicita est *formaliter* eadem fides, atque earumdem veritatum; est enim idem motivum formale idemque principium cui utraque innititur.

Quia vero credenda sunt et ea quae nexa sunt cum revelatis et magisterio infallibili proponuntur, quo duplici vinculo ad unitatem cum revelatis revocantur; hinc unitas fidei postulabit ut haec quoque propter suum proprium motivum credantur vel explicite vel implicite, quemadmodum diximus de revelatis.

Iam vero A) unitas fidei materialis postulatur in Ecclesia Christi, ut sine ea esse non possit Ecclesia; cuius proinde proprietas sit unitas Fidei. Sane liquet 1) ex ipsis rerum naturis: deficiente enim unitate fidei, neque constare sibi potest unitas socialis; est enim essentialiter Ecclesia societas credentium et agentium secundum Fidem, ita ut omnes leges, omnia iura, omnes functiones, quibus invicem cohaerent membra Ecclesiae, supponant fidem, et secundum eam determinentur; quare diversis existentibus professionibus Fidei, eo ipso Ecclesia scinditur in plures, et fit multiplex, quod repugnat. Rursus Fides, quam profiteri debet Ecclesia, est fides vera, eamque integre profiteri Ecclesia debet: docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis Matth. XXVIII. 20; porro fides vera non est nisi una: ergo unam fidem profiteri Ecclesia universa debet. Liquet 2) ex diserta testificatione Apostolorum, qua